

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Antichristus f
cum fonte primo

Que sit causa dilacionis eius
ut reueletur in tempore suo scitis,

aperte hoc dicere noluit
et ideo nos qui nescimus quod illi sciebant,
peruenire cum labore ad id
quod sensit apostolus cupimus nec ualemus,
presertim quia et illa que addidit
hunc sensum faciunt obscuriorem.

Iam enim misterium iniquitatis operatur.
Tantum qui modo tenet teneat,
donec de medio fiat;
et tunc reuelabitur iniquus.
Ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare.
Suspiciones tamen hominum
quas uel audire uel legere potui non tacebo.

Augustinus ibidem (XX. de ciuitate Dei)
capitulo XIX.

Quod autem ait: *Et nunc quid detineat scitis*,
id est, quid sit in mora,
quae causa sit dilacionis eius,
ut reueletur in suo tempore, (2 Thes. 2:6) scitis:
quoniam scire illos dixit,
aperte hoc dicere noluit.
Et ideo nos, qui nescimus quod illi sciebant,
peruenire cum labore ad id,
quod sensit apostolus, cupimus nec ualemus;
praesertim quia et illa, quae addidit,
hunc sensum faciunt obscuriorem.

Nam quid est:

Iam enim misterium iniquitatis operatur.
Tantum qui modo tenet teneat,
donec de medio fiat;
et tunc reuelabitur iniquus? (2 Thes. 2:7-8).
Ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare.
Suspiciones tamen hominum,
quas uel audire uel legere potui, non tacebo.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.19
(CCSL 48, B. Dombart ed., p.731, ll.41-52).